

## Stultarum uirginum scaphæ seu nauiculae.

**S**ventus & ultimus sensuum est tactus: oibus anima libus communis & per omnia fere membra diffusus: q tanto periculosior est quanto maior in eo uoluptas. Extrema enim linea amoris in eo consumatur. Sunt autem secundū donatum quinq; linea amoris: quæ hoc uersiculo continētur. Visus colloquiū cōuictus basia factum. Prima igitur linea amare est uisu cōniuere: arridere: petos oculos iniicere & tacite cōsentire quæ multis sine reliquis datur. Secunda facta potestate & inuenta opportunitate: colloqui: polliceri: blan diri: desideria animi aperire. Tertia comessare compotare: & in secreto conuiuere. Quarta quæ oritur ex talibus: est basia & lasciuia oscula dare. Quinta est coire. In prima potissimū peccat uisus. In secunda auditus. In tertia gustus. In quarta olfactus. In quinta tactus. Sunt ergo cōcatenatæ huiusmodi sensationes quæ omnes ad uenerē excitant: & præcipue quæ ad gustum spectat crapula: & ebrietas. unde uirgilius in epigrāmate qd explanare policit<sup>9</sup> sum.  
Nec ueneris nec tu uini capieris amore

Vno namq; modo uina uenusq; nocent.  
Vt uenus eneruat uiires: siccopia uini  
Et tentat gressus debilitatq; pedes.  
Multos cæcus amor cogit secreta fateri  
Archanum demens detegit ebrietas.  
Bellum sæpe petit ferius exitiale cupido  
Sæpe manus itidem bacchus ad arma uocat.  
Perdidit horrendo troiam uenus improba bello  
Et lapythas bello perdis iacche graui.  
Deniq; cum mentes hominum furiarit uteq;  
Et pudor & probitas & metus omnis abest.  
Compedibus uenerem uinchis constringe lyeum  
Ne te muneribus lœdat uteq; suis.  
Vina situm sedant: natis uenus alma creandis  
Seruit: finem horum transiluisse nocet.

